

in multis casibus quotidie experimur.

XXX. Confirmatur, quia sic mentem, et verba Pelagii intellexit Augustinus. Nam in capite XIX ejusdem libri, explicans quomodo gratia debeat dici doctrina: « Hæc gratia, inquit, si doctrina dicenda est, certe sic dicatur, ut altius et interius eam Deus cum ineffabili suavitate credatur infundere, non solum per eos qui plantant, et rigant extrinsecus, sed etiam per seipsum, qui incrementum suum ministrat occultus, ita ut non ostendat tantummodo veritatem, sed etiam impertiat charitatem. » Et cap. XXIV: « Legant et intelligant, intueantur et fateantur non lege, atque doctrina insonante forinsecus, sed interna, atque occulta, mirabili, et ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum, non solum veras revelationes, sed etiam bonas voluntates. » Intellegit ergo Augustinus quod non sufficiebat Pelagio ponere solum revelationes veras, et ostendere veritatem, etiamsi per internam, et occultam potestatem id faceret, quod pertinet ad illuminationes interiores, sed quod has solum admittere, non erat recedere a sua doctrina, nec veram internam gratiam confiteri, qualis in Ecclesia catholica ponitur. Et tandem capite quarto addit Augustinus quod: « Pelagius auxilium constituit in lege, atque doctrina, quam nobis fatetur etiam S. Spiritu revelari, propter quod et adorandum esse concedit. » Sed Spiritus Sanctus non adoratur ut Deus, quia solum revelat nobis per exterius hominum ministerium, sed quia interius in mentem illabatur, eamque illustrat: ergo internas revelationes Pelagius concessit.

XXXI. Secundum quod diximus admisisse Pelagium, scilicet hanc gratiam internam, ut excitativam, et pulsativam voluntatis, ita quod

non solum revelationem in intellectu, sed motum subitum in voluntate per excitationem ab intellectu factam admitteret, constat in primis ex loco nuper citato ex libro de gratia Christi, capite X, ubi introducit Pelagius dicens quod Deus operatur in nobis velle quod bonum est, dum revelatione sapientiæ in desiderium Dei stupentem suscitatur voluntatem, dum præmiorum pollicitatione nos succendit, dum suadet nobis omne quod bonum est. Sed suscitatio voluntatis, et succensio facta per revelationem sapientiæ, est motus voluntatis bonus, et fit per cogitationem sanctam, scilicet quæ datur per revelationem sapientiæ, et pollicitationem præmiorum, et excitat ad bonum: ergo agnovit Pelagius non solum revelationem quoad propositionem objecti, sed etiam ut convenienti modo datur ad excitandum ad bonum, dummodo hæc excitatio solum fiat media motione ex parte objecti, et cognitionis, quæ est motio moralis, et non per subministrationem virtutis in voluntatem. Nec solum posuit Pelagius istam illustrationem ad propositionem objecti credendi, sed etiam ad bene operandum, quia expresse dicit quod hoc modo operatur Deus velle quod bonum est, et velle quod sanctum est, et quod suadet omne quod bonum est: ergo male restringitur hoc ad solam propositionem objecti fidei et ad credendum, cum omne bonum comprehendat et ipsum velle, atque operari quod sanctum est. Suasio autem per sanctam cogitationem fit alliciendo, et proponendo objecti convenientiam: ergo si Vasquez non agnoscit aliam applicationem voluntatis, quam quæ fit per intellectum, et cogitationem, non agnoscit aliam, quam quæ fit per suasionem in quocumque bono, mediante qua operatur Deus velle, et suadet omne quod bo-

num est. Hoc autem non negabat Pelagius, sed non sufficere ad gratiam docet Augustinus ibidem, quia totum hoc non excedit doctrinam, quia nec excedit motionem cognitionis, et cogitationis allicientis, et suadentis.

XXXII. Præterea in eodem libro, c. XXVI impugnans doctrinam Pelagii: « Cogitationem, inquit, et dilectionem sicut sunt discernenda discernat, quia scientia instat, charitas autem ædificat, et cum sit utrumque donum Dei, alterum minus, alterum majus, non sic justitiam nostram super laudem justificatoris nostri extollat, ut horum duorum quod minus est, divino tribuat adjutorio, quod autem majus, humano usurpet arbitrio. » Ecce quomodo agnoscebat Pelagius cogitationem sanctam, quæ sit donum Dei, quia utrumque horum, scilicet cogitationem, et charitatem, Augustinus dicit esse donum Dei, et dicendo, utrumque supponit non esse unum tantum donum, sed duo: donum autem quod Augustinus vocat charitatem, certum est non esse immediate in intellectu, nec in cogitatione, sed in voluntate, ad quam pertinet charitas, non solum charitas habitualis, sed etiam charitas auxilians, quæ illi potentiæ imprimitur, in qua est habitus charitatis, non loquitur autem Augustinus de charitate pro habitu, sed pro auxilio, quia loquitur de illa gratia, quæ ad singulos actus datur, hæc autem non est habitus, hic enim non pro singulis actibus datur, sed pro multis deservit: ergo sentit Augustinus non sufficere id quod ponitur in sola cogitatione, sed requiri aliud donum, quod vocat charitatem, et hæc non pertinet ad cogitationem, licet illam præsupponat, sed ad voluntatem; quia non unum, sed duo dona requirit Augustinus cum dicat utrumque esse donum Dei. Ergo pri-

mum tantum donum ponere, scilicet cognitionem, et mediante illa excitationem, sine alio dono distincto non negavit Pelagius, sed non sufficere docuit Augustinus. Et præsertim quia Vasquez dicit eandem esse gratiam operantem, et cooperantem, et comitantem, quatenus in nobis manens efficit nobiscum consensum, quod est non ponere utrumque donum, sed unum tantum, scilicet cogitationem suadentem ad bonum, quam Pelagius utique non negabat, etiam ut suscitativa est stupentis voluntatis, ut in verbis supra relatis ab Augustino libro de gratia Christi capite decimo vidimus. Ad quod etiam pertinet, quod eodem libro, c. VII refert Augustinus ex Pelagio, qui dicebat adjuvari nos a Deo per gratiam, et non solum per legem, dum per revelationem, et doctrinam suam cordis nostri oculos aperit, dum nobis ne præsentibus occupemur, futura demonstrat, dum diaboli pandit insidias, dum nos multiformi, et ineffabili dono gratiæ cœlestis illuminat. Hæc autem apertio oculorum, et demonstratio futurorum, quæ non nisi per aliquam interiorem cogitationem, et revelationem fit in nobis, non adjuvat voluntatem, nisi ipsam suscitando, et tangendo; si enim non tangit, quomodo adjuvat? Non ergo negabat Pelagius suscitationem, et factum voluntatis, si solum mediante cogitatione, et objecti propositione fiat, quæ est moralis efficientia. Unde in congregatione XXXVII habita in materia ista coram summo pontifice Clemente VIII, cum ipse pontifex instaret p. Vastidæ, et sociis, ut explicarent, quid est quod facit hominem facere, et hoc sæpius sua Sanctitas urgeret, et repeteret, responsum est illi, quod gratia facit facere moraliter. Tunc rursus pontifex summus: « Hanc gratiam excitantem etiam posuit Cassianus. »

Quæ verba etsi nullam contineant censuram, nec definitionem in hac materia, sed solum particulare pontificis dictum, quantum tamen ponderis significant, præsertim sic publice prolata coram consessu, et in tam gravi negotio, nemo est, qui non videat.

XXXIII. Tertium denique Pelagii dictum, scilicet nunquam admisisse gratiam, quæ per subministrationem piritus, et virtutis nobis datur (intelligendo per subministrationem piritus, quod frequens est apud Augustinum, scilicet illa inspiratio quæ immediate tangit voluntatem, ad eam enim pertinet affectio, quæ piritus, seu spiratio amoris proprie dicitur; non autem illuminatio objecti, et propositi dicitur Spiritus, licet etiam requiratur ad spirandum affectum, quatenus objectum propositum movet voluntatem) constat tum ex Augustino ipso libro de gratia Christi; capite II, ubi aperte dicit, referens enim id quod dixerat Pelagius: Anathema qui sentit, vel dicit gratiam Dei non solum per singulas horas, vel singula momenta, sed etiam ad singulos actus non esse necessariam, hæc verba suspecta esse dicit Augustinus: « Quia ideo eam per singulos actus necessariam dicit, ut semper in memoria retineamus dimissa nobis esse peccata, adjuti non aliqua subministratione Spiritus, sed viribus propriæ voluntatis. » Et in epistola xcv, de eodem Pelagio loquens Augustinus etiam post ipsius gesta in Concilio Palæstino et subdolam confessionem quam ibi fecit: « Sive, inquit, gratiam dixerit liberum arbitrium, sive gratiam esse remissionem peccatorum, sive gratiam esse legis præceptum, nihil eorum dicit quod per subministrationem Spiritus Sancti pertinet ad concupiscentias, tentationesque vincendas. » Nec obstat quod: « In libro nuper excuso inter

opera Augustini de gestis contra Pelagium, cujus ipse mentionem facit in libro II, retract. c. XLVII dicat, c. XI, quod: « Satis evidenter apparet eam Pelagium dicere gratiam, quæ in Christi Ecclesia prædicatur, quæ subministratione Spiritus datur. » Non, inquam, obstat, quia hoc non dicit quasi Pelagius in veritate ita fateretur; si enim gratiam quæ in Christi Ecclesia prædicatur, vere ipse admitteret, catholicus vere haberetur, cum tamen postea ut hæreticus ab Augustino judicatus sit; sed dicit evidenter id apparere, quantum est ex verbis confessionis Pelagii, quam tunc apparenter fecit, cujus tamen sensus, et æquivocatio postea apparuit. Nam, ut Augustinus ipse dicit citato libro de gratia Christi « capite III: Pelagius, cum episcopalibus gestis sine ulla recusatione damnavit eos, qui dicunt gratiam Dei, et adjutorium non ad singulos actus dari, ubi putabamus ejus de hac re omnes tergiversationes esse consumptas: tamen in libris quos edidit pro libero arbitrio quorum mentionem facit in epistola quam Romam misit, nihil aliud sentire monstratur, quam id quod damnasse videtur. » Quare liber ille de gestis contra Pelagium in Concilio Palæstino, scriptus videtur ab Augustino ante istum de gratia Christi, ubi ejus sensus, et tergiversationes magis explicantur, etiam post illa gesta Concilii Palæstini, præsertim cum post illa gesta Concilii Pelagius librum illum miserit Romam, ex quo sensum ejus expressit Augustinus et sic magis standum est isti posteriori libro, quam apparenti illi confessioni in Concilio, unde videbatur sequi ipsum admittere gratiam subministrantem Spiritum.

XXXIV. Ex his patet non attigisse Vasquez in hac parte sententiam, sensumque Pelagii, solum ponendo

gratiam in sancta cogitatione, cum motu subito voluntatis, putans id negasse Pelagium, cum hoc toties concesserit, ut ex manifestissimis locis allatis constare potest. Itaque non negavit cogitationem internam bonam, et quidquid mediante cogitatione, et propositione objecti suadere, accendere, aut suscitare potest voluntatem in desiderium, sed quidquid præter donum cogitationis per subministrationem Spiritus, per diffusionem charitatis, per immisionem studii virtutis in reluctantem voluntatem ministratur. Sed neque P. Suarez ab hac motione morali recessit; et licet fateatur Pelagium admisisse illuminationes internas quoad propositionem objecti, non quoad donum voluntatis ad acceptandam, et suscipiendam, et convenienti modo proponendam hanc doctrinam revelatam, tamen restat distincte explicare quid sit hoc donum bonæ voluntatis, et quid superaddat ad hanc illuminationem internam: si enim hoc donum bonæ voluntatis non est aliud quam ipsa cogitatio movens moraliter juxta congruitatem, et dispositionem voluntatis non receditur a sententia Vasquez, nec aliud ponitur pro gratia operante, seu præveniente, quam id quod ex parte cogitationis se tenet, et mediante propositione objecti suscitatur stupentem voluntatem, accendit eam, et suadet omne quod bonum est, in quo importatur donum ipsius voluntatis mediante cognitione, et doctrina sic ad bonum suadente et excitante, quod totum non negabat Pelagius, ut videmus. Sic autem præter hæc omnia quæ pertinent ad motionem moralem datur aliquod donum subministratum voluntati, et immediate tangens illam, hoc est quod intendimus, quia est aliud donum præter cogitationem, et præter motionem illam moralem tangens immediate

voluntatem, et hoc est donum voluntatis bonæ, non solum mediante cogitatione, et morali motione datum; sed etiam supposita illa motione excitativa, a Deo immediate subministratum, et hoc est quod negavit Pelagius, sed quantum ex aliis locis p. Suarez colligitur, ipse talem motionem non cognoscit, sed solum moralem: ad hanc enim reducit totam congruitatem, et efficaciam gratiæ, ut videri potest in opusculis ejus, in brevi resolutione de gratia efficaci, num. XLVIII et LI, et in libro tertio de auxiliis, cap. V et X, XI et XIV, et in aliis locis. Quare oportet verba illa quæ habet in prolegomeno quinto citato, cap. III, num. XVI et XVII, bene advertere, cum dicit quod præter illuminationem internam, quæ est donum pertinens ad legem, et doctrinam, requiritur donum voluntatis bonæ per quam et cœlestis doctrina discitur, et recipitur, et lex impletur. Oportet enim explicare quodnam sit hoc secundum donum præter illud: si enim est donum, non in intellectu positum, et mediante intellectu tangens voluntatem, quod est donum sanctæ cogitationis, sed est donum immediate impressum voluntati, habemus nos intentum, si est donum non impressum, et subministratum voluntati, sed ex intellectu feriens voluntatem, et excitans, totum hoc pertinet ad illuminationem et doctrinam suscitativam stupentis voluntatis; et ad summum potest addere congruitatem moralem, quod scilicet detur tali tempore, et occasione, qua Deus providet habituram effectum, quæ est congruitas non a gratia ipsa causata, sed præsupposita, deductaque ex præscientia media Dei, non ex causalitate ipsius gratiæ, quod est a sententia Vasquez non recedere, nec amplius dicere, quam quod præcedenti tomo impugnatum est circa scientiam

mediam, et infra circa efficaciam decretorum divinatorum impugnabitur.

Fuit autem in illa congregatione XLIII, valde ineffaciter argutum contra istam nostram sententiam, videlicet quia Pelagius negabat semper veram gratiam, ut Augustinus, et Concilia communiter dicunt: sed istæ internæ revelationes, et illuminationes suasoriæ vera gratia sunt, cum pertineant ad gratiam excitantem, qua Deus nos movet: ergo illas non admisit Pelagius. Frigidum argumentum. Idem posset dici de externa prædicatione evangelii, de lege, et doctrina; nam hæc omnia pertinent ad veram gratiam, cum per ista externa ministeria Deus nos excitet, et moveat, sed Pelagius non agnovit veram gratiam: ergo non agnovit illuminationem, et suasionem externam. Ipsi oppositi auctores id negant. Solvant ergo suam consequentiam. Nos dicimus Pelagium negasse veram gratiam adæquate, et ut ponitur ab Ecclesia catholica, non solum in revelationibus et doctrinis, sed etiam in spiritu et virtute intra voluntatem. Pelagius aliquid gratiæ paulatim admisit ut supra vidimus, sed non totam, et adæquate, ut catholici, et in hoc sensu non veram, id est, plenam, et totalem agnovit.

XXXV. Cæterum ut magis constet Augustinum non solum in sancta cogitatione, et excitatione ejus in voluntatem, totam vim gratiæ posuisse, sed ita cogitationem, et excitationem, seu moralem motionem requirere, quod etiam vires, et Spiritum, et virtutem subministratam voluntati reluctanti, ut ejus duritia tollatur, requirat, quod est aliquid ultra moralem motionem, et ad gratiam adjuvantem pertinet, non solum simultanee, sed prævenienter subministratam, scilicet ut duritia cordis tollatur, ut dicit libro de præ-

destinatione sanctorum, capite VIII, et reluctanti voluntati studium virtutis immittit, ut dicit libro secundo contra duas epistolas Pelagianorum, cap. V et VI, et libro IV, cap. VI. Adverte Augustinum modo unam, modo alteram gratiam explicare, non tamen quando unam solam explicat, aliam negat. In tribus autem præcipue locis videtur solam moralem motionem ex parte cogitationis requirere.

XXXVI. Primo quidem in libro de spiritu, et littera, cap. XXXIV, ubi tractans quomodo voluntas credendi sit a Deo, dicit: « Non ideo tantum Deo tribuendam, quia ex libero arbitrio est quod a Deo creatum est, sed quia visorum suasionibus agit Deus, ut velimus, et ut credamus, sive extrinsecus per evangelicas exhortationes, sive intrinsecus, ubi nemo habet in potestate sua quid ei veniat in mentem, sed dissentire, vel assentiri propriæ voluntatis est. His ergo modis quando Deus agit cum anima ut credat (neque enim potest credere quodlibet arbitrio, si nulla sit suasio, vel vocatio cui credat) profecto et ipsum velle credere Deus operatur in homine, et in omnibus misericordia ejus prævenit nos: consentire autem, vel dissentire, ut dixi, propriæ voluntatis est: » Ubi non agnoscit Augustinus alium modum quo Deus operatur velle in nostra voluntate, quam mediante suasionem, et cogitationem; de qua etiam dixerat ante caput XXXIII, quod: « Voluntatem credendi accipit homo a Deo, quando quidem vocante Deo surgit de libero arbitrio, quod naturaliter cum crearetur accepit. »

XXXVII. Alter locus est libri primi ad Simplicianum, quæstione secunda, ubi objiciens sibi Augustinus quod si vocatio Dei ita est effectrix bonæ voluntatis, ut omnis eam vocatus sequatur, quomodo verum

erit: *Multi vocati, pauci vero electi?* Cui objectioni Augustinus sic respondet: « An forte qui hoc modo vocati non consentiunt, possunt alio modo vocati accommodare fidei voluntatem, ut et illud verum sit: Multi vocati, pauci vero electi, ut quamvis multi uno modo vocati sint, tamen quia non omnes uno modo affecti sunt, illi soli sequantur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei, et illud non minus verum sit: igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, qui hoc modo vocavit, quomodo aptum erat eis qui sequuntur vocationem. » Et infra: « Illi enim electi, qui congruenter vocati, illi autem qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi, non electi quia non secuti, quamvis vocati. » Quo loco, et aliis similibus ut in libro de bono perseverantiæ, cap. XIV, videtur reducere congruitatem gratiæ ad vocationem, quæ tenet se ex parte intellectus, cum dispositione in qua voluntas invenitur ut sequatur vocationem, vel non sequatur; non autem ad aliquam applicationem, vel subministrationem Spiritus, quæ immediate immutet ipsum affectum.

XXXVIII. Tertius locus est in libro secundo de peccatorum meritis et remissione, cap. XIX, ubi inquit: « Ideo Deum aliquando non tribuere sanctis suis, vel certam scientiam vel victricem delectationem, ut cognoscant, non a seipsis, sed ab illo sibi esse lucem qua illuminentur tenebræ eorum, vi suavitatum, qua fructum suum det terra eorum. » Ergo tota vis gratiæ solum reduci-tur ad illam scientiam, et delectationem victricem, quæ utique ex parte objecti propositi delectationem facientis se tenet.

XXXIX. Nihilominus tamen in his locis Augustinus ita requirit ad ope-

randam vocationem, quæ ex parte intellectus se tenet, quod semper supponit voluntatem ut illi correspondeat, non esse solam, sed suffultam virtute, et Spiritu sibi impresso, et subministrato a Deo. Hac enim generali regula utitur Augustinus cum dicit in libro de gratia Christi, c. XIV: « Quis, inquit, non videat, et venire quemquam, et non venire arbitrio voluntatis? Sed hoc arbitrium potest esse solum, si non venit, non autem potest esse nisi adjutum si venit, et sic adjutum, ut non solum quid faciendum sit sciat, sed quod scierit etiam faciat. Ac per hoc quando Deus docet non per legis litteram, sed per Spiritus gratiam, ita docet, ut quod quisque didicerit non tantum cognoscendo videat, sed etiam volendo appetat, agendoque perficiat. » Ecce quomodo quando aliquis audit vocationem Dei, et doctrinam quod utique in intellectu fit, per liberum arbitrium venit, sed non liberum arbitrium solum, sed suffultum auxilio; quod auxilium dicit Augustinus non esse solum in eo quod sciat seu cognoscat quid agendum sit, atque adeo non sufficit illa allicientia moralis motionis ex parte cognitionis se tenens, sed ille Spiritus quo voluntas tangitur, ut velit, et faciat id quod cogitatione cognoscit. Requiritur ergo duplex donum, seu impressio Dei tangens utramque potentiam intellectus, et voluntatis; intellectum per illustrationem; voluntatem per Spiritum, seu inspirationem, quasi duo brachia Dei animam amplectentia, de quibus dicitur in Canticis Canticorum: *Læva ejus sub capite meo* (id est, sub intellectu, qui est caput, illustrato per cognitionem) *et dextera illius amplexabitur me* (per Spiritum scilicet tangentem voluntatem, et inflammantem) ut fiat homo filius dexteræ. Et Concilium Tridentinum sess. VI,